Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1295
Quelle:
Copyright:

Kados, kados, kados: El Sabaoth
Agios, agios, agios: kirios, o Theos, ton Stration;

Georgius, non *Gregorius*, ut quidam, Benignus, aliis Syracusanus, aliis Ragusinus, aliis generatim Epirota vel Illyricus, sed *Sebastiano Dolci* in *Fastis lit. Ragusinis* p. 24. *Bosniensis* ex familia *Dobrotich*, unde se *Benignum* dixit, cognomento Salviatus a Salviatis Florentinis, O. M. primum Callienſis, ut vidimus, Episcopus, dein Archiepiscopus Nazarenus varia scripsit, quae habes in Mongitoris *Bibl. Sic. append. ad* T. I. Ughellii *Italia Sacra* T. II. *col.* 906. Fabricii *Bibl. med. et inf. Lat. edit. Patav.* T. III. p. 33. Item in Montfauconii *Bibl. Bibl. Mss.* Lamii *Cat. Codd. mss. Bibl. Riccard.* p. 208. Bandinii *Cat. Codd. Lat. Bibl. Laur.* T. I. p. 468. III. p. 214. Ex his tamen typis excusa non novimus, nisi *Prophetica Solutiones.* Florentiae. 1497. 4. *Librum de Natura coelestium Spirituum, quos Angelos vocamus.* Florent. 1499. f. *Septem et septuaginta in opusculo Magistri Nicolai de mirabilibus reperta Mirabilia.* Ibid. f. a. 4. et *Defensionem Joannis Reuchlini.* f. l. 1517. 4. In hoc ultimo Opusculo Contemplationum nostrarum ita meminit: *Ille ego, qui cum Callienſis essem Episcopus, et sanctæ Crucis Cardinalis Reuerendissimi, sedisque Apostolicæ Legati meritissimi vestigia sequerer, Germanicas* Contemplationes, *quarum altera de* Christianæ victoriæ vexillo, *altera de Virginis Matris assumptione mirificos Tractatus continebat, edidi. Nunc Romæ Archiepiscopus Nazarenus existens* &c.

CCCXXXIII.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 89. 8. luculente exaratus, rubricis distinctus et olim *Sancte Margarete in Osterhouen*, quod ab a. MCXXVII. nobile in *Bavaria* Canonicorum D. *Norberti* Collegium fuit, complectitur sequentia: I. *Incipit Acervus Testimonii De Uirginitate Partus Beatę Marię.* Initium Prologi: *Lector Diuinorum non tam pompam uerborum quam rerum ueritatem in his que dicuntur perpendere debet.* &c. Occasio scribendi mox ita exponitur: *Est questio de beate Marie partu. utrum christum more aliarum feminarum genuerit. scilicet quod illius naturę contumelias passa fuerit. an sicut conceptus ita et partus diuinus extiterit. Sed unde in questionem hoc uenerit. causa hec est. Libellus sancti ieronimi de uirginitate beatę marię contra beluidium quem eatenus usque id temporis non uideram nec legeram. uenit in manus. Legi. placuit. quia eandem ydram in profanis capitibus suis strenue ac irrecuperabiliter suffocauerat. Ueruntamen in ultima eiusdem monstri capitis succisione reliquit germen. unde simpliciores* 764